



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

1. Passus. Cognitio propriæ cœcitatatis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

SEMITÆ III.

Perfectionis , seu Unitivæ

PASSUS I.

Cognitio & Confessio propriæ cœcitatatis.

TEXTUS S. SCRIPTURÆ.

Accedite ad Eum, & illuminamini. Psal. 33. v. 6.

Cognitio & Confessio.

O Pater luminum! ego cœcus peccator, coram Te, intellectûs mei tenebras libens profiteor. In cœcitate natus, in cœcitate hactenus versatus, parùm Te eheu cognovi! nam non cognovi naturam tuam Divinam eminentissimam; aliàs ferventiùs Te quæsissem. Non cognovi majestatem tuam infinitam, aliàs fidentiùs Tibi servivissem. Non cognovi summam sapientiam & veritatem tuam, aliàs dictis tuis firmiùs credidissem. Non cognovi omnipotentiam & maximam fidelitatem tuam, aliàs immo-
biliùs

bilius in Te sperâssem. Non cognovi iustitiæ tuæ rigorem, aliàs non toties Te offendissem. Non cognovi immensitatem tuam, ubique præsentem, aliàs cautiùs & sanctius coram Te ambulâssem. Non cognovi bonitatem tuam, pulchritudinem, dulcedinem, beneficentiam, liberalitatem, sanctitatem, ac reliquas perfectiones tuas, aliàs ardentius Te dilexissem. Quare ô Deus, illumina tenebras meas, & da, ut Te amplius cognoscam & diligam.

Affectus & Petitio.

Domine Deus meus, qui de tenebris facis lucem splendescere; obsecro Te, mentis meæ caliginem dissipa, & lumen copiosumingere, quo Te amplius cognoscam ac diligam. Tribue visum, lux invisibilis, qui Te videat. Creanovum olfactum, odor vita, qui post te currat in odorem unguentorum tuorum. Gustum sana, qui sapiat & cognoscat, & discernat, quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti, qui pleni sunt charitatis tuæ. Dacor, quod Te cogitet; animam, quæ Te diligat; mentem, quæ Te recolat; intellectum, qui Te intelligat; rationem, quæ Tibi semper summè delectabili adhæreat. S. August. soliloq. c. 1.

Aspirationes.

1. Deus meus, illumina tenebras meas.
Psal. 17. 11.

II. Domine, expelle tenebras desuper abyssi
mentis mea. S. Aug. soliloq. c. 1.

III. O Lumen meum! haftenus contexe-
runt me tenebrae: Sed post tenebras spero lucem.

P A S S U S II.

Desiderium cognoscendi
DEUM.

T E X T U S.

*Nōsse Te, consummata justitia
est; & scire justitiam & vir-
tutem tuam, radix est immor-
talitatis. Sap. 15. 3.*

Cognitio.

Q Uanta, Domine Deus meus, sit ne-
cessitas, Te omne bonum nostrum co-
gnoscendi, quis non videt? Hujus enim
cognitionis defectu I. omnia mundi scelera
oriuntur; attestante Propheta: *Non est
scientia Dei in terra. Osee c. 4.* Et quid
inde? Omnium malorum colluvies; nam
mendacium, & furtum, & adulterium,
& reliqua scelera inundaverunt. II. Ex
defectu hujus cognitionis deficit in morta-
libus fides, languet spes, hebescit fiducia,
perit humilitas, reverentia, timor, obedientia,
pa-